

manibus hominum, qui semper se praebet videndum aspectibus Angelorum; et palpavit ille discipulus et exclamavit: « Dominus meus et Deus meus. » Quia tetigit hominem, confessus est Deum. Et Dominus consolans nos qui ipsum jam in caelo sedentem manu contrectare non possumus, sed fide contingere, ait illi: « Quia vidisti, credidisti; beati qui non vident et credunt. » Nos descripti sumus, nos designati sumus. Fiat ergo in nobis beatitudo quam Dominus praedixit futuram: firme teneamus quod non videmus; quia illi nuntiant qui viderunt. « Ut et vos, inquit, societatem habeatis nobiscum. » Et quid magnum societatem habere cum hominibus? Noli contemnere; vide quid addat: *Et societas nostra sit cum Deo Patre, et Jesu Christo Filio ejus. Et haec, inquit, scribimus vobis, ut gaudium vestrum sit plenum.* Plenum gaudium dicit in ipsa societate, in ipsa caritate, in ipsa unitate.

4. *Et haec est adnuntiatio quam audivimus ab eo, et adnuntiamus vobis.* Quid est hoc? Ipsi viderunt, contrectaverunt manibus Verbum vitae: ab initio erat, ad tempus visibilis et palpabilis factus est unicus Filius Dei. Ad quam rem venit, vel quid nobis novum nuntiavit? Quid docere voluit? Quare fecit hoc quod fecit, ut Verbum caro fieret, ut Deus super omnia indigna ab hominibus pateretur, ut alapas eorum sustineret de manibus quas ipse formavit? Quid voluit docere? quid voluit ostendere? quid voluit adnuntiare? Audiamus: nam sine fructu praecepti, auditio rei gestae, quia natus est Christus, et quia passus est Christus, avocamentum mentis